

## **LATIN: LEVEL I**

*NOTE: Students are required to recite from memory **two** poems: The Mandatory Selection as well as one from the other three poems under Second Selection*

### **Mandatory Selection**

Hospes, quod dīcō paullum est. Adstā ac perlege.  
Hīc est sepulcrum, haud pulchrum, pulchrae fēminae.  
Nōmen parentēs nōminārunt Claudiam.  
Suum marītum corde dīlēxit suō.  
Nātōs duōs creāvit: hōrunc alterum  
in terrā linquit; alium sub terrā locat.  
Sermōne lepidō, tum autem incessū commodō.  
Domum servāvit. Lānam fēcit. Dīxī. Abī.

*- Corpus Inscriptionum Latinarum. I<sup>2</sup>. 1211*

## **LATIN: LEVEL I (cont'd.)**

### **Second Selection I**

Lūgēte, ō Venerēs Cupīdinēsque,  
et quantum est hominum venustiōrum:  
passer mortuus est meae puellae,  
passer, dēliciae meae puellae,  
quem plūs illa oculīs suīs amābat.

- Catullus 3.1-5

### **Second Selection II**

Nam mellītus erat suamque nōrat  
ipsam tam bene quam puella mātrem;  
nec sēsē ā gremiō illius movēbat,  
sed circumsiliēns modo hūc modo illūc  
ad sōlam dominam ūsque pīpiābat;

- Catullus 3.6-10

### **Second Selection III**

quī nunc it per iter tenēbricōsum  
illud, unde negant redīre quemquam  
At vōbīs male sit, malae tenēbrae  
Orcī, quae omnia bella dēvorātis:  
tam bellum mihi passerem abstulistis.

- Catullus 3.11-15

## **LATIN: LEVEL II**

*NOTE: Students are required to recite from memory **two** poems: The Mandatory Selection as well as one from the other three poems under Second Selection*

### **Mandatory Selection**

Numquam est fidēlis cum potente societās;  
testātur haec fābella prōpositum meum.  
Vacca et capella et patiēns ovis iniūriae  
sociī fuere cum leōne in saltibus.  
Hī cum cēpissent cervum vāstī corporis,  
sīc est locūtus, partibus factīs leō:  
“Ego prīmam tollō, nō minor quoniam leō.  
Secundam, quia sum fortis, tribuētis mihi.  
Tum quia plūs valeō, mē sequētur tertia.  
Malō adficiētur, sī quis quartam tetigerit!”  
Sīc tōtam praedam sōla improbitās abstulit.

- Phaedrus 1.5

## **LATIN: LEVEL II (cont'd.)**

### **Second Selection I**

Nūllī sē dīcit mulier mea nūbere malle  
quam mihi, nōn sī sē Iuppiter ipse petat.  
Dīcit: sed mulier cupidō quod dīcit amantī,  
in ventō et rapidā scribere oportet aquā.

- Catullus 70

### **Second Selection II**

Nūlla potest mulier tantum sē dīcere amātam  
vērē, quantum ā mē Lesbia amāta mea est.  
Nūlla fidēs ūllō fuit umquam foedere tanta,  
quanta in amōre tuō ex parte reperta mea est.

- Catullus 87

### **Second Selection III**

Lesbia mī dīcit semper male nec tacet umquam  
dē mē: Lesbia mē dispeream nisi amat.  
Quō signō? Quia sunt totidem mea: dēprecor illam  
assiduē, vērūm dispeream nisi amō.

- Catullus 92

### **LATIN: LEVEL III**

*NOTE: Students are required to recite from memory **two** poems: The Mandatory Selection as well as one from the other three poems under Second Selection*

#### **Mandatory Selection**

forte puer, comitum sēductus ab agmine fīdō,  
dīxerat: “ecquis adest?” et “adest” responderat Ēchō.  
hīc stupet, utque aciem partēs dīmīttit in omnēs,  
vōce “venī!” magnā clāmat: vocat illa vocantem.

• • •

perstat et, alternae dēceptus imāgine vōcis,  
“hūc coeāmus” ait, nūllīque libentius umquam  
respōnsūra sonō, “coeāmus!” rettulit Ēchō  
et verbīs favet ipsa suīs, ēgressaque silvā  
tībat, ut iniceret spērātō brācchia collō.  
ille fugit fugiēnsque “manūs complexibus aufer!  
ante” ait “ēmoriar, quam sit tibi cōpia nostrī.”

- Ovid, *Met.* 3.379-82, 385-91

## **LATIN: LEVEL III (cont'd.)**

### **Second Selection I**

Laevia sex cyathīs, septem Iūstīna bibātur,  
quīnque Lycas, Lȳdē quattuor, Īda tribus.  
Omnis ab ĩnfūsō numerētur amīca Falernō,  
et quia nūlla venit, tū mihi, Somne, venī.

- Martial, Ep. 1.71

### **Second Selection II**

Occurris quōcumque locō mihi, Postume, clāmās  
prōtinus, et prīma est haec tua vōx, “Quid agis?”  
Hoc, sī mē deciēs ūnā convēneris hōrā,  
dīcis: habēs puto tū, Postume, nil quod agās!

- Martial, Ep. 2.67

### **Second Selection III**

Trīstis Athēnagorās nōn mīsit mūnera nōbīs  
quae mediō brūmae mittere mēse solet.  
An sit Athēnagorās trīstis, Faustīne, vidēbō:  
mē certē trīstem fēcit Athēnagorās.

- Martial, Ep. 8.41

## **LATIN: LEVEL IV**

*NOTE: Students are required to recite from memory **two** poems: The Mandatory Selection as well as one from the other three poems under Second Selection*

### **Mandatory Selection**

Non usitata nec tenui ferar  
penna biformis per liquidum aethera  
vates neque in terris morabor  
longius invidiaque maior  
urbis relinquam. Non ego pauperum  
sanguis parentum, non ego quem vocas,  
dilecte Maecenas, obibo  
nec Stygia cohibebor unda.  
Iam iam residunt cruribus asperae  
pelles et album mutor in alitem  
superne nascunturque leves  
per digitos umerosque plumae.  
Iam Daedaleo ocior Icaro  
uisam gementis litora Bosphori  
Syrtsique Gaetulas canorus  
ales Hyperboreosque campos.

- Horace, Carmina 2.20, 1-16

### **Second Selection I**

At trepida et coeptis immānibus effera Dīdō  
sanguineam volvens aciem, maculisque trementis  
interfusa genas et pallida morte futura,  
interiora domus inrumpit limina et altos  
conscendit furibunda rogos ensesque recludit  
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.  
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile  
conspexit, paulum lacrimis et mente morata  
incubuitque toro dixitque novissima verba.

- Vergil Aeneid 4.642-50

## **LATIN: LEVEL IV (cont'd.)**

### **Second Selection II**

“Dulcēs exuviae, dum Fāta deusque sinēbat,  
accipite hanc animam, mēque hīs exsolvite cūrīs.  
Vīxī, et quem dederat cursum Fortūna perēgī,  
et nunc magna meī sub terrās ībit imāgō.  
Urbem praeclāram statuī; mea moenia vīdī;  
ulta virum poenās inimīcō ā frātre recēpī  
fēlīx, heu! nimium fēlīx, sī lītora tantum  
numquam Dardaniae tetigissent nostra carīnae!”

- Vergil Aeneid 4.651-58

### **Second Selection III**

Dīxit, et ōs impressa torō, “Moriēmur inultae,  
sed moriāmur,” ait. “Sīc, sīc iuvat īre sub umbrās.  
Hauriat hunc oculīs ignem crūdēlis ab altō  
Dardanus, et nostrae sēcum ferat ōmina mortis.”  
Dīxerat, atque illam media inter tālia ferrō  
conlāpsam aspiciunt comitēs, ēensemque cruōre  
spūmantem sparsāsque manūs. It clāmor ad alta  
ātria: concussam bacchātur Fāma per urbem.

- Vergil Aeneid 4.659-66